

Die Urkunden Lothars II., 36

In nomine omnipotentis dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Hlotarius divina
preveniente clementia rex. Expedit regiae celsitudini ita divinis cultibus operam
dare, quatinus aecclesiarum dei iura ac privilegia pristinis temporibus iuste et rationabiliter
ordinata sua protectione iuxta domini voluntatem conservet, et si qua caeca cupiditate
inordinate ablata perspexerit, quantocius pro Christi nomine reformat, ut et sanctorum
intervenientibus meritis aeternae retributionis premium adquirat, eos etiam quibus
aecclesiastica iura commissa sunt, sibi devotiores reddat. Quocirca omnium fidelium
sanctae dei aecclesiae nostrorumque presentium scilicet ac futurorum noverit utilitas,
..... emolumento seu etiam propter devotissimam famulationem
Remigii Lugdunensis aecclesie reverentissimi archiepiscopi restituimus per nostrae
auctoritatis preceptum aecclesie sancti Stephani Lugdunensis villas Caduliacum videlicet in
comitatu Salmoriacensi et Liuiam in pago Uiennensi, quas pridem bonae memoriae
Karolus gloriosus rex germanus noster prefatae aecclesiae iusta ratione sua regali
auctoritate reformaverat, sed nos postmodum pro quadam necessitate illas in benefitium
contuleramus. Quod omnino non recte factum fore cognoscentes, hos nostrae auctoritatis
apices fieri censuimus, per quos memoratas villas prefatae casae dei reformamus, quatenus
nostris futurisque temporibus absque cuiuslibet subtractione in potestate pontificum
eiusdem aecclesiae permaneat, ut deo largiente presules ac clerus eiusdem casae dei pro
anima genitoris nostri ac genitricis seu fratriss nostri Karoli gloriosi regis nec non et nostra
domino attentius preces assiduas fundere studeat. Ut autem haec nostrae restitutionis
auctoritas nostris futurisque temporibus inconvulsa permaneat firmitatemque omnem
obtineat, manu propria illam roboravimus et anuli nostri impressione insigniri iussimus.